



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Apolinaristis & eorum haeresi. Cap. XXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

itaque Alexandriam contendens (illi namq; ecclesie, Athanasio interea in obscuro delitescete, adhuc presuit) omnes, qui ab eius opinione & sententia dissentiebant, grauius afflixit, populūq; Alexandrinū (erat enim multis odiosus & inuisus) grauibus affecit molestiis. Hierosolymis verò Cyrilli loco Erenius episcop^o designatus est, Cui Heracliu^s successisse constat: Huic rursus Hilariū: Postea Cyrillus reuertit Hierosolyma, illiusq; ecclesie episcopatu recuperauit.

De Apolinariſtis & eorum hæreſi.

CAP. XXXVI.

SVB idem tempus nouus quidem error ex tali ortus est causa. Laodicea, quæ est vrbs Syria, duo erant viri, pater & filius, eodem nomine nuncupati (vterq; enim Apollinarius est appellatus) quorū alter, patrem dico, presbyterij gradū in ea ecclesia acquisuerat, alter, nempe filius, lectoris fungebatur munere. Ambo humanioris literaturæ doctores erant, Grammaticæ pater, filius autem Rhetoricæ. Pater Alexandrinus genere, primū Beryti ludum aperuit: dein de Laodiceam cōmigrans, ibi duxit vxorem: ex qua Apolinarium suscepit. Vterq; eodem tempore Laodiceæ floruit, quo Epiphanius sophista. In cuius amicitiam vbi penitus intrauerat, cum eo multum versari cœperunt. Theodotus autem, episcopus illius ecclesie, veritus admodū ne crebra eius consuetudine ad gentilitatem deflecterent, vetuit ne illum adirent. Illi spreto episcopi concilio, Epiphaniij amicitiam assidue amplexabantur. Postea Georgius successor Theodoti, cum eos ab Epiphaniij cōsuetudine auocare omninè contenderet, & nullo modo posset illis persuadere, vtrumque à communione quo eos coerceret, segregauit. Adolescens Apolinarius factum illud contumeliæ loco ducens, & dicendi facultate, quæ sophistæ propria est, admodū confusus, nouā hæresim excogitat, quæ hoc tempore etiā ab inuētoris nomine hæresis Apolinariana dicitur. Sūt quidā, qui affirmant illos non tantū ob causam, quā modò citauimus, à Georgio dissensisse, sed quòd animaduertent illum peregrina, eaq; inter se pugnantia docentem: & interdū afferentē filium patri similem esse, sicut in Seleuciano concilio conuentum est, interdum ad Arii hæresim deflectentem.

Quo-

SOCRATIS HISTORIAE

Quocirca illos leui arrepta occasione ab ecclesia recessisse. Vbi verò nemo illis animū attendit, nouam religionis formam inducere moliebantur: ac primum dicebant hominem à Deo verbo assumptum in ipsa, incarnationis œconomia sine anima. Deinde tanquam pœnitentia adducti, illum animam suscepisse concedunt illi quidem, eam tamen non esse mente præditam, sed Deum verbum in hominem, quē sumpserat, mentis loco inclusum. In hac re solum ab ecclesiæ fide disidere se aiunt, qui ab illis nomen duxerunt: quippe trinitatem *ὁμοῦσιον*, id est, Consubstantialem esse assueverant. Verùm de Apolinariis alius mihi deinceps plura dicendi locus erit.

De Constantij Cæsaris morte.

CAP. XXXVII.

DVM Imperator Constantius Antiochiæ versabatur, Iulianus Cæsar in Gallia cum multis Barbaris hominibus conflagit. Quibus deuictis, militibus propterea adeo charus habebatur, vt ab illis Imperator renuntiaretur. Quo audito, Constantius in grauem mentis angorem & ægritudinem coniectus est. Itaq; baptismo ab Euzoio accepto, ad bellum cum eo gerendum recta proficiscitur. Qui cum ad Mopsi fontes, qui sunt inter Cappadociam & Ciliciam, peruenisset, præ nimia sollicitudine in apoplexiâ delapsus, mortem oppetiit, Tauro & Florentio Coss. tertio Non. Nouemb. anno primo ducentesi-mæ octuagesimæ quintæ Olympiadis. Vixit Constantius annos 45. Regnavit annos 38. 13. videlicet vna cum patre: post patris mortem 25. Totidem annos hic liber comprehendit.

Finis Secundi libri.